

genuit aut educavit, ut nulla quasi alimenta exspectaret a nobis, ac tantummodo nostris ipsa commodis serviens tutum perfugium otio nostro suppeditaret et tranquillum ad quietem locum, sed ut plurimas et maximas nostri animi ingenii consilii partis ipsa sibi ad
 60 utilitatem suam pigneraretur, tantumque nobis in nostrum privatum usum quantum ipsi superesse posset remitteret.

Iam illa, perfugia quae sumunt sibi ad excusationem
 10 quo facilius otio perfruantur, certe minime sunt audienda, cum ita dicunt accedere ad rem publicam plerumque homines nulla re bona dignos, cum quibus
 89 comparari sordidum, confligere | autem multitudine praesertim incitata miserum et periculosum sit. quam
 15 ob rem neque sapientis esse accipere habenas cum insanos atque indomitos impetus volgi cohibere non possit, neque liberi cum inpuris atque inmanibus adversariis decertantem vel contumeliarum verbera subire, vel expectare sapienti non ferendas iniurias: proinde
 90 quasi bonis et fortibus et magno animo praeditis | ulla
 21 sit ad rem publicam adeundi causa iustior, quam ne pareant improbis, neve ab isdem lacerari rem publicam patiantur, cum ipsi auxilium ferre si cupiant non queant.

25 Illa autem exceptio cui probari tandem potest, quod
 negant sapientem suscepturum ullam rei publicae par-